Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



IOB

argentum et sicut lutum parauit uestimenta. parauit quidem sed iustus uestietur illis et argentum innocens diuidet. Edificauit sicut tinea domum suam et sicut custos fecit umbraculum. Diues cum dormierit nihil secum afferet. aperiet oculos suos et nihil inueniet. apprehendet eum quasi aqua inopia. nocte opprimet eum tempestas tollet eum uentus urens et auferet. et uelut turbo rapiet eum de loco suo. conflabit super eum et non parcet. de manu eius fugiens fugiet super eum manus suas et sibilabit super eum uniuersus locus eius. XXVIII

Habet argentum uenarium suarum principia et auro locus est in quo conflatur. ferrum de terra tollitur et lapis solutus calore in es commutatur. tempus posuit tenebris et uniuersorum finem ipse considerat lapidem quoque caliginis et umbram mortis diuidit torrens aquas peregrinante eos quos obliuio est pes ignorantes. terra de qua oriebatur panis eruta est. et subter ipsa quasi igni subuersa est. locus saphiri lapidis eius et glebe illius aurum. Semitam ignorauit auis nec intuitus est oculus uulturis nec calcauerunt eam filii ferarum nec transiuit pecus leena. ad silicem manum suam subuertit. arroribus montis in petris rumpit. perscrutatus est et omne pretiosum uidit oculus eius. profunda quoque flumina scrutatus est et abscondita produxit in lucem. Sapientia uero ubi inuenitur et quis est locus intelligentie nescit homo pretium eius non inuenitur in terra suauis non est in me et mare loquitur non est mecum. non dabitur aurum obrizum pro ea nec appendetur argentum pro commutatione eius nec conferetur tinctis indie coloribus. non lapidi sardonico pretiosissimo uel saphiro. non adequabitur ei aurum uel uitrum. nec commutabuntur pro ea uasa aurea excelsa et eminentia nec comparabitur inopinatione eius trahitur autem sapientia de occultis nec equabitur ei topazius de ethiopia nec tincture mundissime componentur. Unde ergo uenit sapientia et quis est locus intelligentie. abscondita est ab oculis omnium. Uiuentium uolucres quoque celi latet. perditio et mors dixerunt. Auribus nostris audiuimus famam eius. deus intelligit uiam eius et ipse nouit locum ipius. Ipse enim fines mundi intuetur et omnia que sub celo sunt respicit. Qui fecit ventis pondus et aquas appendit in mensura. quando ponebat pluuiis legem et uiam procellis sonantibus. Tunc uidit illam et enumerauit eam et parauit et inuestigauit et dixit homini. Ecce timor domini ipsa est sapientia. et recedere a malo intelligentia. XXIX

Addidit quoque iob assumens parabolam dixit. Quis mihi tribuat ut sim iuxta menses pristinos secundum dies quibus deus custodiebat me. quando splendebat lucerna eius super caput meum et ad lumen eius ambulabam in tenebris sicut fuit in diebus adolescentie